



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VII. De effectibus & causalitate finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO VII. 357

utroque videt disconuenientiam, vel in neutro, vel ea disconuenientia non percipitur per sensus externos.

Propterea puto dicendum, etiam in brutis dari species, quas multi vocant *insensatas*, rerum quas per sensus formaliter non percipiunt: negotamen, eas acquiri per discursum vilo modo, sed solum illas produci in æstimatoria potetia, hic & nunc sic disposita, adiuta speciebus ipsis externis; sicut in omnium sententia in sensu interno bruti producuntur species de obiectis visis, ita etiam de eis insensatis, & per eas immediate cognosci sine discursu vilo eam conuenientiam vel disconuenientiam. Idem dico de utilitate ad finem in exemplo à me supra allato, de bruto accedente ad cibum visum, vel fugiente ab imminente baculo, &c. in hirundine etiam excitari speciem de nido, quæ excitaretur si eum vidisset, Deumque (vt ait D. Thomas) non defuisse, dando his animantibus tales species & cognitiones etiam de obiectis absentibus, & quæ à sensu non percipiuntur, quia necessariae sunt vt animal & suam vitam tueatur, & propagationi suæ speciei attendat. Neque quia bruta sint, ideò nihil aliud debemus dicere ab eis cognosci, quam colorem & qualitates, sonum, cibos, &c. habent enim iram & concupiscentiam, quæ proculdubio supponunt cognitionem aliorum accidentium quam quæ per sensum percipiuntur. Idem est de fame, &c. quæ non videtur percipi per vllum è quinque sensibus, quia nec est color, nec sonus, nec qualitas prima, nec odor, nec sapor. Idem in siti, &c. Idem, quando sentiunt dolorem, & volunt illum vitare.

Respondent huic vltimæ instantiæ de dolore nonnulli, bruta non cognoscere suum dolorem, sed obiectum dissonum, & illud velle vitare. Sed contra, ergo fugam illius obiecti appetunt seu carentiam doloris, ergo illam noscunt: carentia autem non percipitur per sensus, per te; ergo habent aliquas species insensatas.

Secundo iudem dicunt, canem non velle dimittere lupum quem apprehendit, & quia delectatur sanguine, & quia timet dilaniatione ab eo. Vnde ego arguo: Ergo apprehendit dilaniatione; sed hæc non intrat per sensus, ergo aliquid, quod non intrat per sensus, percipitur à brutis, ergo potest etiam percipere utilitatem medij cum fine.

Cetera agentia insensibilia nullatenus operantur propter finem: cum enim careant cognitione & appetitione, non possunt vnum propter aliud appetere aut ordinare. Quod si aliquando dicimus, finem ignis disponentis passum, esse introductionem formæ ignis; id intelligendum est de fine improprie, vel de fine in ordine ad auctorem naturæ, nempe Deum, qui potest eas dispositiones ordinare, vt ad finem proprie ad formam ignis, licet ipse ignis producat proprie non eas ordinet, quia caret cognitione & appetitione finis.

SECTIO VII.

De effectibus & causalitate finis.

PRIMO dubitatur, Vtrum primus amor seu complacentia in fine, sit illius effectus. Negant nonnulli, quia terminare & mouere inten-

tionaliter ad amorem sui, non est proprium finis, aliàs etiam bruta operarentur propter finem, quia etiam illa mouentur intentionaliter ad appetendum obiectum bonum, ex bonitate obiecti cognita per phantasiam. Hoc argumentum parum nos vrget, concedentes bruta operari propter finem. Confirmant suam sententiam, quia finis est cuius gratia aliquid fit, id est, ob cuius amorem aliquid fit; ergo quod fit à fine, non est illius amor, sed reliqua quæ fiunt medio illius amore. Hæc confirmatio statim dissoluetur.

Alij recentiores è contrario censent, etiam eum primum amorem esse effectum finis, non quidem solum, sed simul cum voluntate mediorum: quare licet appetitus bruti causetur intentionaliter à bono cognito, non tamen dicitur esse propter finem, quia ex illo appetitu deberet rursus causari mediorum appetitus, quæ duo includuntur in causalitate finis.

Ad confirmationem de amore primo, respondent, verba illa, *cuius gratia*, posita in definitione finis, non sonare idem, ac *cuius amore*, sed, *ob cuius bonitatem aliquid fit*; cum quo primus amor finis, licet non fiat ob amorem finis, fiat tamen ob bonitatem finis, ideò absolute dicitur fieri gratia finis. Quo respondetur confirmationi pro contraria sententia. Quæstio hæc ferè de vocibus, in quâ placet secundus modus loquendi, quem tenet Hurtadus & alij plures.

Secundo dubitatur, vtrum electio mediorum, & ipsa media, sint effectus finis. Ferè omnes affirmant: & ratio est aperta, quia in primis electio oritur ex amore finis, media autem oriuntur ex electione, ergo sunt effectus finis. In contrarium stant nonnulli arbitantes, electionem non esse effectum finis, quia non amatur reflexè ipsa electio vt utilis ad finem, sed medium electum per illam. Cum enim quis vult medicinam propter sanitatem, non cogitat reflexè de ipsâ voluntate medicinæ, neque illam amat, sed præcisè medicinam ipsam, quam solum apprehendit vt vilem ad sanitatem; ergo sola medicina, non verò voluntas ipsius, erit effectus finis. De re non potest esse in præsentis dubitatio, certum enim est quod in hac obiectione docetur, scilicet ipsam electionem mediorum non amari reflexè propter finem, vel saltem id non esse necessum. Ceterum vt dicatur illa electio effectus finis, non videtur requiri vt ametur reflexè propter finem, sed vt causetur à fine mediâ intentione illius; quod rectè potest fieri, etsi reflexè non cognoscatur nec ametur ipsa electio. Imò potest ad hominem argui contra aduersarios, ideò negantes, proprium finem Deo, quia licet media proprie causentur à Deo, amor tamen finis & electio mediorum, quia sunt idem realiter cum ipso, non causantur à fine, ergo supponunt aduersarij, in aliis agentibus propter finem, à Deo distinctis, causari à fine & amorem de illo, & electionem mediorum: alioquin si hoc non requireretur ad rationem finis, malè ex solo defectu huius in Deo negarent proprium finem. Iam ergo supponunt, intentionem & electionem causari à fine, ergo sunt effectus illius, quia causari ab illo, & esse effectus illius, idem est.

Dices PRIMO: Electio non causatur ab intentione finis, ergo electio non est effectus finis. Respondeo, electionem causari à voluntate determinatâ,

terminatâ, siue incitatâ per intentionem finis.

Sed hinc dices Secundò: Ergo etiam assensus conclusionis debet esse effectus obiecti præmissarum, quia fit ab illo obiecto cognito per præmissas, seu ab intellectu determinato per cognitionem obiecti præmissarum; ergo debet assignari quantum genus causalitatis respectu assensus conclusionis. Respondeo, & causam finalem, & obiectiuam respectu intellectus, solum esse Metaphoricè causas, vnde in rigore neque quantum genus causæ deberet assignari. Quòd si causa finalis absolūtè numerata est inter causas, obiectum verò intellectus, non idèò est, quia finis mediâ causalitate Metaphoricâ progreditur ad causationem propriam mediorum: at verò obiectum intellectus sistit præcisè in causatione impropria assensus conclusionis, qui etiam est actus intellectus; vnde non enumeratur inter causas, licet in rigore non minùs sit causa impropria assensus conclusionis obiectum præmissarum, quàm finis sit causa electionis mediorum, & è contrario.

79 Hinc inferes, etiam gaudium de fine obtento esse effectum finis, quia idèò quis gaudet de eâ possessione finis, quia illum intenderit: & licet gaudium non sit medium ad finem, non idèò excluditur à ratione effectus finis, vt proximè diximus de ipsâ electione mediorum.

Tertiò potest dubitari, vtrum finis ipse executioni mandatus, sit effectus sui ipsius prout intenti. Negant nonnulli, quia finis est cuius gratiâ cetera sunt, iuxta Aristotelem; ergo propter finem non fit finis, quia hic non clauditur inter cetera à fine. In contrarium videtur stare communis modus loquendi, scilicet, finem in intentione esse causam sui ipsius in executione, quatenus finis ipse amatus, est causa vt ponantur media, à quibus ipse finis physicè causatur. Neque huic sententiæ Aristoteles repugnat, qui cum dixit, finem esse, cuius gratiâ cetera sunt, non negauit fieri etiam ipsum finem: nec valet argumentum ab auctoritate negatiuâ. Sed transeat, id negauerit Aristoteles: in contrarium stat, vt diximus, communis modus loquendi, qui in quæstionibus de voce, qualis hæc est, præponi debet vnius Doctōris auctoritati.

Explicatis effectibus finis, restat de eius causalitate disputare: circa quam Primò dubitatur, vtrum sit vera & realis. P. Suarez Disputatione 23. sect. 1. absolūtè docet, finem esse veram causam realem. Quod probat Primò ex communi consensu Philosophorum, loquentium de fine vt de verâ causâ, & reali. Deinde ratione, quia effectus tam per se pendet à fine, quàm ab efficiens, ergo finis tam est vera causa, quàm efficiens. Censeo, hac in re non posse esse quæstionem nisi de solo nomine. Nam si per causam veram & realem intelligatur causa physicè producens effectum, nec P. Suarez, nec prudens vllus affirmavit, finem esse veram causam & realem, quia res non existens, imò & aliquando impossibilis, non potest physicè aliquid producere, ergo neque esse causa vera & realis in hoc sensu.

81 Si autem per causam realem intelligatur causa mouens, non quidem physicè, sed intentionaliter, mediante cognitione; non dubium, finem, esse causam realem, quia realiter attrahit eius bonitas existens intentionaliter in animâ, mediâ cogni-

tionem, quæ cognitio realis est; vnde mediâ illâ realiter delectat bonitas finis (& hoc dicitur intentionaliter realiter mouere, & attrahere ad se) est ergo finis in hoc sensu vera causa, & realis. Hæc de re: de modo autem loquendi non est multum curandum. Ego finem non vocarem absolūtè & simpliciter causam, quia causa absolūtè prolata supponitur pro producente physicè & realiter effectum, quod non conuenit fini.

Secundò potest quæri, in quo consistat finis causalitatis, quæcumque illa sit. Inprimis, si loquamur de causalitate finis respectu complacentiæ de illo, dicendum est, eam esse ipsam complacentiam circa finem, factam dependenter à cognitione finis: quod idem dicendum est de causalitate circa electionem & gaudium de possessione finis, scilicet horum causalitatem esse ipsam electionem & gaudium, vt facta ex amore finis.

Sed dices: Hæc eadem electio deambulationis, quæ modò causatur à fine sanitatis, potuit causari à fine recreationis v.g. ergo hæc electio non est causalitas finis sanitatis. Pater consequentia, quia causalitas non est indifferens ad hanc vel ad illam causam. Respondeo, eandem electionem non posse iam respicere hunc finem, iam illum, quia (vt ostendam libris de Animâ) electio habet pro obiecto ipsum finem; nullus autem actus potest mutare obiectum, ad quod dicit respectum transcendentem: vnde nego obiectiōni Antecedens. Quia verò non amo rem terminis confundere, volo tibi explicare, quid sit illud, prout facta dependenter à fine, in quo dixi eam causalitatem consistere.

Dico ergo, hoc nihil esse aliud, quàm actionem ipsam physicam, quæ ea complacentia producit, quæ per suam essentiam dependet à propositione illius finis, id est ab illo fine cognito, siue hæc siue alia sit cognitio diuersa de eo fine: neque enim variatio cognitionis variat actionem, quia (vt supra diximus) cognitio non est causa, sed ipse finis.

Si verò loquamur de causalitate finis circa media, dicendum est Primò, eam causalitatem non consistere neque in entitate finis, neque in eius intentione, quia hæc omnia possunt esse, quin mandentur executioni media: nulla autem causalitas potest, etiam de potentiâ absolūtâ, esse sine suo effectū, ergo finis, & eius intentio, non sunt causalitas circa media. Secundò, neque etiam consistit hæc causalitas in electione mediorum, quia etiam potest manere electio voluntatis, quin de facto ponantur media: vel quia mutantur voluntas, vel quia impeditur ne exequatur media quæ intendit. Tertiò, non consistit eiusmodi causalitas in effectiōne exteriori mediorum, quia eadem actio exterior, v.g. deambulatio, potest fieri & ob hunc & ob illum finem: causalitas autem non est indifferens vt fiat ab hac vel illâ causâ. Hinc colliges, malè à nonnullis doceri, ipsam solam actionem agentis esse causalitatem finis: ipsi enim docent, & meritò, causalitatem non posse esse sine causâ at hæc actio agentis, v.g. deambulatio, potest esse sine fine sanitatis propter alium finem, ergo ea actio physica sola non est causalitas finis.

Si verò dicas, eam actionem, vt fit ab intendente finem, esse causalitatem, iam includis ipsam inten-

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO VII. 359

intentionem in ratione causalitatis, quod tamen prius negaueras. Dicendum ergo est, consistere eiusmodi causalitatem & in ipsâ actione exteriori mediorum, & in voluntate interiori eligente ea media propter talem finem; quæ duo nequeunt existere, etiam de potentia absolutâ, quin detur causalitas finis circa illa media. Est ergo illa causalitas denominatio sumpta ex intentione finis, ex electione mediorum, & ex ipsis mediis executioni mandatis.

85 Sed obijciat: Stante eâ intentione & electione mediorum, ipsaque eorum executione, potest simul poni altera voluntas eorum mediorum propter alium finem: tunc autem ibi non esset causalitas à primo fine, ergo causalitas illius finis non consistit in illis tribus supra enumeratis, cum possint ea manere sine causalitate. Respondet, negando, in eo casu non esse causalitatem primi finis: quia etiam si ponatur alius finis adequatus, verè tamen media causantur propter primum finem, etiam non propter illum solum, quia (ut supra diximus) rectè possunt dari simul duo fines adequati, respectu eiusdem medij; est ergo in illo casu duplex causalitas, una includit executionem mediorum, & primam intentionem finis, altera includit eandem executionem mediorum, & secundam intentionem alterius finis: quare tunc illæ duæ causalitates solum in adequatè distinguuntur quâ parte dicent, diuersas intentiones finis, quæ verò parte includent ipsam productionem exteriorum mediorum, idem hinc carentur etiam inter se.

86 Dices: Si duo hi fines amentur vnicuique actu, & ab eo imperetur ambulatio, tunc externa ambulatione erit eadem, fines in se erunt iidem, & tamen non erit duplex causalitas finalis, ergo duplex causalitas non consistit in eo quod sint duo fines circa idem medium. Respondet, propterea me dixisse, causalitatem etiam consisti ex ipsâ intentione vel electione; in isto autem casu iam non est nisi vnica intentio, & consequenter non sunt duo fines totales in actu secundo. quando verò sunt duæ electiones adequatæ, tunc iam sunt duæ causalitates totales in actu secundo, etiam si ipse effectus vnus sit.

Vergebis: Ipse effectus est pars causalitatis, & hic vnus est, ergo causalitates non sunt duæ. Respondet, non esse duas, quâ parte includunt ipsum effectum, esse tamen duas, quâ parte & finem & electionem includunt; ab his autem absolute denominari causalitatem eam duplicem, quod ad modum loquendi præcisè pertinet.

SECTIO VIII.

De Causâ exemplari.

87 De causâ exemplari seu ideali disputant ex professo Theologi 1. Parte, quæst. 15. & in Metaphysicâ P. Suarez Disputatione 25. per totam. Nos in præsentem nonnulla breuiter dicemus.

Aristoteles 7. Metaphys. cap. 7. textu 32. sic definit exemplar: *Est illud, in quod artifex inspicit operatur.* Ex quâ definitione constat, non dari exemplar nisi respectu operantium per cognitionem: nam quæ carent cognitione, nequeunt aspicere exemplar. Imò nec videtur suf-

ficere quacumque cognitio, sed requiritur intellectualis; bruta enim non operantur attendendo ad exemplar.

Sed contra obijciat, finias aliquando attendere ad actiones humanas ut eas imitentur, ergo habent exemplar suarum operationum. Idèò respondeo, in talibus posse concedi quamdam imperfectam imitationem & rationem exemplaris, nisi dicas, ad hoc requiri ut fiat comparatio inter exemplar & opus, hancque non fieri à similia; idèò non esse ibi propriè rationem exemplaris. Sed in hoc multum est de questione de nomine, puto tamen, eodem modo hic discurrendum, sicut paulò antè de fine in eisdem brutis discurremus, scilicet, non posse illis aliquam rationem exemplaris denegari modo dicto.

Duplex est exemplar, aliud *internum*, *externum* aliud. Hoc est, quod proponitur exteriori alicui potentia cognoscitiuæ, ut ad imitationem ipsius artifex operetur, quale communiter habent pictores, statuarij, &c. & quale fuit propositum Moyli in monte, ut iuxta illud fabricaretur arca: *Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Exemplar internum est, quod soli intellectui obijciatur, & dici solet idea rei faciendæ.

89 Aduerte, de ratione vtriusque exemplaris esse, ut non casu, sed ex intentione operantis effectus oriatur similis illi. vnde si casu quis depingeret, ad viuum, vultum Cæsaris, non esset Cæsar exemplar illius picturæ, quia defecit in artifice intentio eum exprimendi.

Rogabis, vtrum requiratur ad rationem exemplaris, artificè imitari illud liberè. Affirmant nonnulli, alij verò negant. Quæstio est de nomine, coincidentque cum eâ quam Disputatione 1. Logicæ Sect. 4. Subsect. 2. tractauimus de scientiâ practica. Quod ibi diximus, hic dictum puta, scilicet, non requiri libertatem in artifice. Pone enim, à Deo necessitari artificem ad operandum iuxta exemplar propositum, cum tamen absente exemplari non posset operari; non dubium, quin in eo casu dirigeretur artifex ab eo exemplari, quod non se haberet tunc per accidens ad opus artificiosum, sed per se; ergo ad rationem exemplaris non requiritur libertas in artifice operante. Ratio est, quam in eo loco tetigi, quia potest exemplar dirigere, etiam si eo posito non ampliùs maneat libertas ad non operandum, quia cum hoc constet, ut absente exemplari nihil possit artifex facere.

His positis dubitatur Primò, vtrum cognitio ipsius exemplaris, v.g. cathedræ, sit id ad quod attendit artifex in suis operationibus, an verò cathedra ipsa, quæ est obiectum illius cognitionis. P. Suarez vbi supra Sectione 1. docet, ipsam cognitionem esse exemplar; P. verò Molina 1. Parte, quæst. 15. art. 1. Disput. 2. & Vasquez Disput. 71. cap. 2. docent, respectu artificis, creati exemplar esse obiectum per cognitionem representatum; respectu verò Dei, suam essentiam esse ideam & exemplar ad producendas creaturas. Placet hæc sententia P. Molinae quoad primam partem de artifice creato, quam sic probat: quia rogatus artifex, quid velit exprimere & imitari, dum depingit imaginem, respondebit, se velle exprimere imaginem exterioriorem, quam ante oculos habet, nec verbum faciet de cognitione